

Embedded Reading

Minos

Versio I

Minos rex magnam pecuniam habebat; itaque superbus erat. „Dei me amant;“ inquit, „si enim a deis peto donum, statim donum ad me mittunt.“

Olim exiit et Neptunum oravit: „O Neptune,“ inquit, „oro te ut pulchrum taurum mittas, quem tibi sacrificabo!“ Neptunus eum audivit et pulcherimum magnumque taurum misit.

Minos eum spectavit: noluit bestiam Neptuno sacrificare: „O servi,“ inquit, „vobis impero ut taurum minus pulchrum sumatis: colore sit similis huic.“ Servi, qui severum atque superbum regem timebant imperata fecerunt: itaque alterum taurum duxerunt. Minos servos iussit sacrum taurum, quem Neptunus miserat, ad stabulum agere: „Nemo hunc taurum videat: Eum bene in stabulo occultetis.“ Deinde rex ad regiam suam rediit. Neptunus omnia intellexit, quae rex fecerat. Ad stabulum cucurrit, et suum vidit taurum. „O improbe Minos!“ exclamavit, „Pulcherrimus ille taurus in monstrum mutetur!“

Taurum emisit; qui multos interfecit. Incolae taurum capere non poterant, donec Hercules illam bestiam tandem cepit.